exercitatos hũgarie lingue neſcios. In hac pro
uincia oppidũ fuit qđ Biſtriciũ vocauere re-
gie corone ſubiectũ. Id ladiſlaus rex cũ Vien-
ne ageret iohãni huniadi dono dedit. Tulerũt
id egre oppidã diuq̃ꝫ reſiſtere. coacti tamẽ im-
parata fecerũt. Et mortuo Johãne eiuſq̃ꝫ filio
Ladiſlao bude occiſo. Michaelem zylagi q̃ ꝓ
Mathia altero Johãnis filio regnũ petebat.
turpiter reiecerũt. Ille indignat⁹ q̃ꝫ primũ La-
diſlai regis mortẽ accepit eo cũ exercitu rediꝫt vi
oppidũ expugnauit. rebelliũ ciuium alijs oculos
eruit alijs manus amputauit alijs necem gla-
dio intulit. oppidũ incendio deleuit. Ingreſſe
ſunt paulopoſt trãſſiluanam turchorũ circiter
tria milia ꝓdamq̃ꝫ magnã abegerunt. pecorũ
atq̃ꝫ hominum quos inſecuti ſibinienſes ⁊ ipſi
theutones ad internitionẽ vſq̃ꝫ deleuerunt. vi-
ctores ꝓda recuperata domum rediere. Vix ciui-
tatem introierant. cum michael ex alia parte
haud paruis ducens copias affuit ciuitati eti-
cum pars que biſtricenſibus aduerſum ſe opẽ
tuliſſet. Sed cum ſibiniẽſes intra munitiſſimã
vrbem ſe continerent fruſtratus deſiderio ſuo
minabundus receſſit. ¶ Apud hũgaros obiꝫt
etate noſtra. Paulus vergerius Juſtinopolita
nus grecis ac etiam latinis litteris valde appri
ma inſtructus. cuius plura extãt opera ab eru-
ditis ꝓbata. Arrianus qui Alexandri magni
geſta cum greco ſermone conſcripſit. Latinus
ab eo redditus eſt cum maximo hortatu Si-
giſmundi Ceſaris. Scripſit etenim de inge-
nuiꝫs moribus Grecas ac etiam Barbaras a-
micicias comparauit aduerſus Malateſtam.
qui enim Maronis ſtatuam in foro Mantua
no deiꝫci iuſſerat. nobilem ac etiam inuectiuã
edidit. Ex hungaris etenim qui ſtudia huma-
nitatis ſecuti ſunt. euo nr̃o claruerunt. duos no
uimus. videlicet. Johannem epiſcopum Va-
radienſem. qui etenim regni cancellariam ob-
tinuit. Et alterum Johannem eius ex ſorore ne
potem ſuum. qui enim ſub Guarino Veronẽ
ſe grecas ac etiam latinas litteras valde diligẽ
ter didicit. nec etenim minus verſu q̃ꝫ ſoluta va
let oratione. Horum tamen originem Sclauo-
nicam ferunt. Scientiam enim iuris valde plu
rimi profeſſi ſunt. Inter quos etenim Dionyſi
us excelluit. qui enim de gente Canyſia natus
eſt. qui etiam Strigonienſem ſortitus eſt eccle-
ſiam. honorẽ quoq̃ꝫ Cardinalatus vt ante di-
ximus emeruit. In re militari Nicolaus Way
da tranſiluanus. Michael vrſatius. ⁊ qui Ca-
liſium inuaſit. Pangratius nomẽ adepti ſunt
Nunc enim clarus habetur Michael zylagi ex
aliena ruina magnus Johannes Huniadis
cuius etenim nomen ceteros obnubilat. non
tam hungaris q̃ꝫ etiam Valachis ex quib⁹ na-
tus erat gloriam auxit.

Valachia

Valachia per quã lata religio eſt a trãſ
ſiluanis incipiẽs vſq in euxinium ꝓ
tenſa pelagus plana ferme tota ⁊ aq̃
rum indigna. cui⁹ meridiem hiſter fluui⁹ exci
pit. Septentrionem Rorani occupãt. quos no
ſtra etas ruthenos appellat ⁊ verſus fluuiũ thi
ram nomades citharũ gentis quos tartaros ho
die vocitam⁹. hanc terrã incoluere quondã ge
the. q̃ ⁊ dariũ hiſtaſpis filiũ turpi fuga repule
runt ⁊ traciã pluribus cladibus affecerũt. Po
ſtremo romanis armis ſubacti ac deleti ſunt ⁊
Colonia Romanoꝝ que dacos coherceret eo d̃
ducta duce quodã flacco a quo flactia nuncu
pata. Exinde longo tempꝛis tractu corrupto vt
ſit vocabulo Valachia dicta ⁊ ꝑ flaccis Vala
chi appellati. Sermo adhuc genti romanus ẽ
q̃uis magna ex ꝑte mutatus ⁊ homini italico
vix intelligibilis. Inter Valachas tempeſtate
noſtra due factiones fuere. altera danoꝝ. alte
ra dragularum ſed hij cũ danis impares eẽnt
atq ab illis multipharia opprimerent turch
os in auxiliũ vocauere. quoꝝ armis adiuti da
nons pene ad internitionẽ deleuerũt. danis ve
ro Johãnes huniades hungaroꝝ imꝑio fretus
opem ferens non tam illos reſtituit q̃ ſibiipſi
claritatem ⁊ opes aquiſiuit. Quippe q̃ Dano
rum agros ex poteſtate turchoꝝ ereptos ⁊ ſibi
⁊ poſteris perpetua poſſeſſione retinendo occu
pauit. Valachi ⁊ inſulas hiſtri accolunt. inter
quas Peucen inſulam apud veteres famã nõ
taui. Et in tracia quoq ſedes habent. Valacho
rum ꝑs turchoꝝ imꝑio ꝑs hungaris pet. non
me latet difficilimam eſſe ꝓuinciarũ deſcriptio
nem quando ⁊ autores ipſi quos imitari opor
tet non ſolum varij verum etiam inter ſe cõtra
rij ac magnoꝑe diſſentiẽtes. inueniunt ⁊ ipſaꝝ
ꝓuinciarum limites ꝑ dominantiũ auctorita
te ac potentia ſepe numero cõmutant. Nã que
ꝓuincia latiſſima q̃ndã fuit etate noſtra. aut
extincta eſt. aut per modica. contra vero que
nulla vel minima extitit. nunc latiſſimam flo
rentiſſimamq videmus Longobardiaz ac ro
mandiolam non cognouere maioꝛa noſtra tẽ
poꝛa Inſubriam emiliam ac flaminiam pror
ſus ignoꝛant. Macedoniam vero ſub Emathi
one rege a quo etiam Emathia cognominata
per auguſti clauſerant termini. Virtus vero po
ſtea regum ac etiam gentis induſtria ſubtractꝭ
finitimis populis longe ac late protendit. De
bet igit̃ veniam equũ cenſeo ſi qui mea ſcripta
legentes nõ eos locorum terminos offenderint.
quos ipſi vel mente ſua cõceperunt vel apud
alios inuenerũt. non que ab alijs accepim⁹. ſeu
veteribus ſeu etiam nouis autoribus incorru
pta referimus. q̃uis non eſt propoſiti noſtri.
geographiaz edere. licet aliquando hiſtoria ip
ſa quam ſcribimus locoꝝ aliquã ſignificatõez
requirat ſic enĩ elucidioꝛ redditur.

Tracia